



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Purificatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Quod vero Ægyptii mare profanum arbitrabantur, alii longè fecus existimarunt. Nam M. Tullius ubi rationes de parricidæ pœna commemorat, oratione pro Sex. Roscio Amerino, ea potissimum de causa insui reos culeo dicit, ne cum in flumen abjecti delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cætera, quæ violata sunt, expiari putantur. Ad hæc Proclus tradit, sulfur & maris aquam ad purificationem adhiberi. Et Euripides Platonem secutus in Ægyptum, cum morbo quodam implicitus, Sacerdotum suavis mari se expiasset, incolumitati redditus est: eaque de causa versum hunc ille

*Mare ab-
luit omni-
s bonorum
malis.
Refertur ab
Eustathio,
Iliad. A ex
Euripide in
Iphigenia.*

istius rei memor suis poematib. inseruit, *ἁλάσσα κλύει πάντα τ' ἀνθρώπων κακὰ.* Aristophanes quoque tale aliquid attigit, cum dixit, *πρῶτον μὲν ἀπὸ τῆς ἁλάσσης ἤγομεν ἔπειτ' ἔλαβεν.* Neque situm ignoravit huiusmodi Catullus, ubi ita canit:

*Quid sis quantum suscipias sceleris?
Suscipit, ô Gelli, quantum non ultima Thebis,
Nec genitor Nympharum abluat Oceanus.*

Neq; temere Clemens inducit Petrum, antequam cibû summeret Tripoli, lavasse in mari, alibiq; libenter eum in eodè lavare. Et apud Homerû Telemachus Palladi supplicaturus, in æquore manus lavit, quæ quidè purificatio omnium gentiû consensu de mari sumpta, baptismû ab omnib. prævisum nationibus indicat quæ sola vera est purificatio. Divinæ enim literæ per mare unitatis numero baptismû intelligunt, ut Theologi docuerunt. Nam & Michæas Propheta, Mare baptismum appellasse visus, cû dixit: *Tu peccata nostris in profundû mare demerges.* Mare vero lavacrû huiusmodi ea de causa nûcupatur, ut sentit Euthymius: quod animarum sordes, quæ illic eluuntur, recipit: & quia purgat: omnia autem quantumlibet lutulenta flumina invehuntur in mare, lateq; ab eo admittuntur, sed tamen intra se continet fordidi, sæcesq; omnes ad littora, sed eas perpurgatas, continua rejicit alluvione.

Capit. 7.

DAMNUM ET UTILITAS. CAP. IV.

Ajunt vero qui Sacerdotum Ægyptiorum commenta curiosius sectantur, Tritonem ideo biforem pingi solitum, superiori quidem parte hominem. inferiori vero piscem, ut ex humore nos & utilitatem & damnum consequi moneremur: cum illi ex humana natura bonum atque proficuum, ex pisce non nisi perniciem interpretarentur. Sedenim de Tritone alibi. Quamvis autem apud Ægyptios perniciem piscis significaret, in ostentis tamen boni ominis habitus est nonnumquam, ut qui Augusto pridie quam Siciliensem pugnam classe committeret, in littore deambulandi exiliit è mari, & ad pedes procubuit quasi nuncius Neptuni, amicitiam ejus sibi conciliantis: tanta fuit eorum hominum in quos colebant deos vanitas & impudentia.

*Sueton. in
Augusto,
cap. 96.*

SILENTIUM. CAP. V.

Sunt vero qui Pythagoræ præceptum, quo edixit ipse *ἰχθίων μὴ γινέσθαι*, propter *ἔχμουθίαν* quam religiose adeo præcipere consuevit, factum putant: piscium enim taciturnitate nihil est quietius, proverbio inde desumpto, *Pisce taciturnior*: quapropter visi fuerint pisces Pythagoræ quodammodo contubernales. Et Lucianus Alcione, *ἄφωνα γὰρ δὴ πάγε καὶ ὕδατ' ὁ διατρώμενα*, muta, quæ aquam incolunt. Ita Lucretius *Mutas* eos *nantes* appellavit. Ex piscibus autem, uno excepto Boa, cui à boando, id est, vocem emittendo nomen inditum, reliqui omnes dubio procul taciturni sunt. Et quamvis ut apud Ælianus est, quidam, ut lacerta, chromis, aper, grunnire videantur, sibilare chalcis, & cuculum imitari coccyx: tenuia tamen ita sunt ea vocis indicia, ut inter vocales recenserî minime mereantur. Nisi verum illud est, quod Pausanias Arcadiæ fluvium memorat, in quo pisces nascantur, quos *Pæcilias* vocant, qui turdorum avium voces edant, quodq; similes in Aorno fluvio Philostephanus: Cyrenæus memorat, quosq; vocales in clitore fluvio ponit Mnaseas Patrensis. Taciturnitatem vero huiusmodi quæ fit in piscibus, ita Flaccus meminit:

*A piscibus
abstineto.
Taciturni-
tatem.
Aφωία-
τα
ἰχθίων
magis ma-
tus quam
piscis.
Athenæus
l. Dipnos. 8.
Garm. l. 4.
Od. 3.*

*O mutis quoque piscibus
Donatum cygni, si libeat, sonum.*

Quam apposite autem & Claudianus silentium hoc piscibus attribuit: dum Rhadamanthum ait loquacissimos viros, & qui ausi sunt arcana prodere, in pisces indui apud inferos jubere his versibus:

*Qui iusto plus esse loquax arcanaque sive
Prodere, pisciferas fertur videtur in undas,
Ut nimiam pensent aterna silentia vocem.*

Atqui